









DE TEMPORE IN IVRE CIVILITER AC  
NATVRALITER COMPVTANDO

AVCTORITATE ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS

IN ACADEMIA ALBERTINA

LOCI IN EODEM OBTINENDI CAUSA

D. XVII. SEPTBR. A. MDCCCLXXIX.

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

PVBLICE DISPVTABIT

D. GEORGIVS FRIDERICVS  
HOLTZHAVER

IVR. ANTECESS. ORD. ET FACVLT. IVRID. ADRESSOR.

RESPONSVRO

GVILIELMO AEMILIO SCHINEMANN,


*Regiom. Boruffa*

INTER EOS, QVI OPPONENTIVM SPARTAM TVEBVNTVR, NOMINA  
SVA INDICARI CVPIVNT SEQVENTES:

IOANNES HENRICVS DE SANDEN, *Regiom. Boruff.*

CAROLVS BENEDICTVS TITIVS, *Gedan.*

IOANNES LVDOVICVS WICHERT, *Regiom. Boruff.*



REGIOMONTI,

TYPI SACR. REG. MALEST. ET VNIVERS. TYPOGR. G. L. HARTVNGIL



2

DE FENORE IN TIVE CENTER AC

WAT... & COMP... TAND

AL... TATE... W... &... T... T... T... T...

IN... W... T... T...

T... T... T... T... T... T...

A... T... T... T... T...

H... T... T... T... T...

T... T... T... T...

DE... T... T... T... T...

H... T... T... T... T...

A... T... T... T... T...

H... T... T... T... T...

S... T... T... T... T...

T... T... T... T...

H... T... T... T...

A... T... T... T... T...







§. 1.

*Instituti ratio.*

Quum inuenta iureconsultorum patriorum veterum iniuste nonnunquam neglecta sint a recentioribus, tum idem in civilis ac naturalis temporum computationis doctrina contigisse videtur. Definitis enim a Ioanne Conrado Rückero, Jcto et antecessore quondam Lugduno-Batauo, istas computationes regundi regulis alliciebantur et non nulli in Germania prudentes, adeo, vt alias mitterent dudum iam cognitae, de harum eminentia oppido securi. Quam igitur defendendi hoc libello, spem concepimus, frustraneo an felici ausu, alii ex aequo iudicent! Ordinem disputationis, ex rubris quippe fatis patentem, delineare non apus est.

§. 2.

*De scriptis eiusdem materiae aliis.*

Licet in eo, quo iam superbumus, scriptorum iuridicorum cumulo, vix fieri queat, quin nouo aliquo specimine exarando aut consentias cum viro de legitima scientia merito aut dissentias, mi-

A

nus



nus tamen aliis agitata est nostra materia. Eorum enim, qui idem rubrum praefixerint, praeter laudatum Rückerrum in *diff. de civili et naturali temporis computatione in iure*, nullum, quae de die ac tempore condita sint scripta legalia, optima manu relata reperies in *bibliotheca reali iuridica Lipeniana* a *Cel. Schottia* insigniter nuper aucta.

## §. 3.

*Temporis computatio quid?*

Numerat seu computat tempus, qui quantum idem sit definit, quique igitur e. g. annum in iure non nisi praeterlapsis CLXV. diebus totum esse, l. 134. ff. de V. S., aut mensem XXX. dierum lapsu absolui, l. 101. ff. de R. I., diem a media nocte ad mediam noctem currere, l. 8. ff. de feriis, declarat.

Sub *die* quamvis temporis mensuram quidam §. praec. allegati scriptores intellexerunt linguam legalem sequuturi, quippe quae eodem ad idem significandum saepius quam verbo *tempus* vsa est, loquutionibus testantibus variis: e. g. *dies cedere* dicitur quando ius et obligatio esse incipit, *dies venire* quando expletio iuris et obligationis potest exigi l. 213. ff. de verb. signif. *dies actionis exire* quum tempus finitur per quod actio durat l. 4. pr. ff. ne quis cum qui in ius etc. l. 28. pr. ff. de iudic. l. 3. ff. de fer. Idem ex tit. tot. de *in diem addict.* aliisque legibus, quas satis copiose *Barn. Brissónius* in opere de *verb. signif.* collegit, aperitissime patet. Planius autem cum Rückero me loquutum esse, et recte, vix est quod moneam.

## §. 4.

*Civilis et naturalis computationis differentia.*

Tempus ergo computatur, si eiusdem definitur quantitas (§. praec.). Prout ista definitio, ita computatio variat: *naturaliter* fit, si tempus plenum reputatur praeterlapso demum ultimo eius momento; sin idem iam cogitatur spatio aliquo nondum impleto,

civili.



*ciuilititer.* Ciuilis computatio iterum non vna, sed pluribus apparet speciebus, interdum enim longius interdum breuius tempus, modo coeptum, pro toto habetur.

Ceteras, continui et vtiles aliorumque temporum computationes, tamquam a re alienas, iure praetermitto.

§. 5.

*Exempla in ipsis legibus obuia.*

Ipsis fragmentis legalibus temporis quam saepissime mentio fit, mox sine mox cum computatione adiecta, hacque modo ciuili modo naturali. Quum eadem, nosse partim ad computationis variae naturam, partim ad postea dicenda penitus perspicienda valde iuuat, iam quaedam eorum in medium ducere lubet.

§. 6.

*Exempla computationis ciuilis.*

Ciuilis computationis species occurrunt aliae, in quibus vltimus dies, aliae, vbi totus annus vltimus, coeptus, pro completo habetur. Vtriusque generis non nullas enarrabimus:

1) Leges Papia Poppaea et Iunia Norbana iura quiritium tribuebant patri Latino, si ei filius natus, et hic anniculus factus esset. Cf. Heinecc. com. ad L. Iul. et Pap. Poppaeam lib. 2. c. 9. §. 2. et c. 15. §. 6. Quando igitur infans dicebatur esse anniculus? *Paulus l. 134. ff. de verb. signif. anniculus*, inquit, *non statim ut natus est, sed trecentesimo sexagesimo quinto die dicitur, incipiente plane non exacto die: quia annum ciuilititer, non ad momenta temporum, sed ad dies numeramus.*

2) Eandem computandi rationem in vsucapione locum habere testantur:

*Venuleius in l. 15. pr. ff. de diu. temp. praescript*, vbi ait: *in vsucapione ita seruat, ut etiamsi minimo momento nouissimi diei possessa sit res, nihilominus replatur vsucapio: nec totus dies exigitur ad explendum totum constitutum tempus. Et Vlpianus in l. 6. ff.*

A 2

de



de usurp et usucap. in usucapionibus, inquires, non a momento ad momentum sed totum diem postremum computamus.

Idem idemque in seq. l. 7. ff. eod. illustrans: ideoque qui hora sexta diei kalendarum Ianuariarum possidere coepit, hora sexta noctis pridie kalendas Ianuarias implet usucapionem. Diem igitur, qui totus computatur, ei, qui a momento ad momentum numeratur, opponit, ideoque postremum coeptum pro completo habet,


3) pubertas ad actiuam testamentifactionem necessaria ciuilliter aestimatur diesque vltimus impubertatis coeptus pro finito habetur ab eodem Vlpiano l. 5. ff. qui test. fac. poss. haec verba faciente: a qua aetate testamentum vel masculi vel feminae facere possunt videamus. Verius est in masculis quidem quartum decimum spectandum in feminis vero duodecimum completum. Verum autem excessisse debeat quis quartum decimum annum, vt testamentum facere possit: an sufficit complexisse? propone aliquem kalendis Ianuariis natum, testamentum ipso natali suo fecisse quarto decimo anno: an valeat testamentum? dico valere. Plus arbitror, etiam si pridie kalendarum fecerit, post sextam horam noctis valere testamentum: iamiam enim complexisse videtur annum quartum decimum, vt Marciano videtur.

4) Aetas viginti annis minor, quae per L. Aeliam Sentiam impeditur, quo minus quis sine decreto magistratus manumittere possit, ab eodem eodemque modo computatur: placuit, inquit, qui kalendis Ianuariis natus, post sextam noctis pridie kalendas quasi annum viceimum compleuerit, posse manumittere. Non enim maioris viginti annis permitti manumittere, sed minorem manumittere vetari: iam autem minor non est, qui diem supremum agit anni viceimi

5) idem Vlpianus testatur, maiorem viginti quinque annis aetatem ad honores muneraque subeunda, quae patrimonii non sunt, necessariam, ita reputari, vt totus annus postremus coeptus pro completo habeatur. L. 8. enim D. de muner. et honor. aperte dicitur

ad





3

ad rempublicam administrandam ante vicesimum quintum annum, vel ad munera, quae patrimonii non sunt, vel honores admitti minores non oportet: denique nec decuriones creantur, vel creati suffragium in curia ferunt. Annus autem vicesimus quintus coeptus pro pleno habetur: hoc enim in honoribus fauoris causa constitutum est, ut pro plenis inchoatos accipiamus

6) porro, Antoninus Caracalla imperator annum vltimum coeptum pro completo habendum decreuit eo in casu, vbi quis filium reliquerit fideicommissarium ea sub conditione, si ad aetatem quandam peruenerit. Ipsum decretum hisce verbis narratur l. 74. §. 1. ff. ad Scutum Trebelli: Fabius Antoninus impubere filium Antoninum et filiam Honoratam relinquens, exheredatis his, matrem eorum Iuniam Valerianam heredem instituit; et ab ea trecenta et quasdam res filiae reliquit; reliquam omnem hereditatem filio Antonino, cum ad annum vicesimum aetatis peruenisset, voluit restitui: quodsi ante annum vicesimum decessisset filius, eam hereditatem Honoratae restitui praecepit: mater intestata decessit, utriusque liberis legitimis heredibus relictis: postea filius annum aetatis plenum nonum decimum, et ingressus vicesimum, nec dum tamen eo expleto, decessit filia herede Fauia Valeriana sua relicta: a qua amara fideicommissura, et ex testamento patris portionem hereditatis petebat, et apud praesidem obtinuerat: tutores Valerianae filiae Antonini, egestatem eius praetendebant et recitabant Diui Hadriani constitutionem, in qua, quantum ad munera municipalia, iusserat, eum annum quem quis ingressus esset, pro impleto numerari. Imperator autem noster motus et acuitate rei et verbis testamenti, si ad annum vicesimum aetatis: quamquam scire se diceret, a Diuo Marco non excusatum a tutela eum, qui septuagesimum annum aetatis ingressus fuit; nobis et legis Aeliae Sentiae argumenta proferentibus, et alia quaedam: contra petitricem pronunciauit. Similem casum habebis l. 102. ff. de condit. et dem.



## §. 7.

*Exempla computationis naturalis:*

Primum exemplum computationis temporis naturalis reperitur §. 9. *Inst. de pupill. substit.* masculo igitur usque ad quatuordecim annos substitui potest: feminae usque ad duodecim annos, et si hoc tempus exceßerint, substitutio euanescit. Expresse igitur pupillaris substitutio euanescere negatur, nisi pupillus masculus annum aetatis decimum quartum, et pupilla duodecimum exceßerit. Loquutio: annum excedere teste ipso *Vipiano* in l. 5. ff. *qui test. fac. poss.* computationem civilem nullam admittit. Huncce igitur *Inst.* §. quodammodo d. l. 5. restringere licet apertissime pateat, nonnulli tamen non viderunt e. g. *Hellfeldius in iurisprudencia forensi secundum pandectarum ordinem.*

2) Pubertas, quae iure Romano ad nuptias legitimas inue-  
das requiritur, naturaliter computatur l. 4. *D. de ritu nupt. minore-*  
*rem*, *Pomponius* ibi ait, annis duodecim nuptam, tunc legitimam  
uxorem fore, cum apud virum expleffet duodecim annos, idem vid.  
*Nou.* 74. et *Nou.* 100. c. 2. pr.

3) eadem ratione aestimat pubertatem tutelam cessare facien-  
tem imperator *Iustinianus* in l. ult. *C. quand. tut. vel cur. off. def.*  
*indecoram obseruationem in examinanda marium pubertate refecan-*  
*tes*, iubemus quemadmodum foeminae post impletas duodecim annos  
omnimodo pubescere iudicantur, ita et mares post excessum quatuor-  
decim annorum puberes existimentur: indagatio corporis inhonesti  
cessante. Cf. et pr. *Inst.* quib. mod. tut. fin.

4) idem *Iustinianus* imp. *L. Aeliae Sentiae* sanctionem immu-  
tando *XVII.* maioribus manumittendi licentiam conciliauit, idque  
tempus §. ult. *Inst. quib. ex caus. manum. non lic.* naturaliter aesti-  
mari iussit: non aliter minori viginti annis libertatem in testamento  
dare seruo suo concedimus, nisi decimum septimum annum impleue-  
rit, et decimum octauum attigerit. Exemplum eiusmodi compi-  
tationis aliud, ad quod imperator prouocat: 5) l.



5) *l. 1. §. D. postul. praetor dedit, minoremque anni decem et septem, qui eos non in totum complevit, postulare prohibuit.*

6) *Minores, in negotiis nouissimo vicesimi quinti anni die gestis capti, in integrum restitutionis beneficio gaudent p. l. 3. §. 3. D. de minor. minorem autem viginti quinque annis natu, videndum, an etiam diem (die) natalis sui adhuc dicimus, ante horam qua natus est, ut, si captus sit, restituatur. Et cum nondum compleuerit, ita erit dicendum, ut a momento in momentum tempus spectetur.*

7) *Paulus tandem tempus, cuius lapsu actiones praescribuntur temporales, naturaliter computandum esse docuit l. 6. ff. de obl. et act. in omnibus, inquit, temporalibus actionibus, nisi nouissimus totus dies compleatur, non finit obligationem.*

§. 8.

#### *Exempla computationis omissae.*

Temporis interdum etiam simpliciter legibus aliisque voluntatibus adiecti reperimus exempla alia, in quibus plane nulla, alia, in quibus minus tantum plena computationis mentio facta est. Omnis temporis aestimatio deficit:

1) *in l. 27. C. de testam. qua verbali testamenti retractatione iusto modo decennioque post illud conditum iam praeterlapso factae validitas tribuitur haec constitutione imperatoria: si autem testator tantummodo dixerit, non voluisse prius stare testamentum, vel aliis verbis utendo contrariam aperuerit voluntatem, et hoc vel per testes idoneos non minus tribus vel inter acta manifestauerit, decennium fuerit emensum: tunc irritum est testamentum.*

2) *in iis legibus, quae poenali criminum persecutioni praescriptionis terminum ponunt, e. g. l. 3. ff. de requ. vel absent. damn. Marcianus ait: quaecumque enim quaestionem apud fiscum, si non alia sit praescriptio, viginti annorum silentio praescribi diu principes voluerunt. Idem Hermogenianus in l. 13. ff. de diuers. temp. praeser. et imp. Dioclet. et Maxim. in l. 12. C. ad L. Corn.*



*de fals.* Quinquennium quoque, cuius lapsu crimina ex L. Iul. de adult. euercenda praescribuntur, sine computatione relatum leges l. 29. §. 5. et 6. ff. ad L. Iul. de adult. praeterea si ex die diuortii sexaginta dies sint, ex die vero commissi criminis quinquennium praeterit; debuit dici: nec mulierem posse accusari l. 1. §. 10. ff. ad Sctum Turpill. accusationem is intulit, qui praescriptionem summo-neri poterat ut quilibet adulterii masculino post quinque annos continuos ex die commissi adulterii, l. 5. C. ad Leg. Iul. de adult. adulter post quinquennium quam commissum adulterium dicitur, (quod continuum numeratur) accusari non potest; easque praescriptiones reo datus auferri non oportet.

3) Tempus appellationum, tam id quod *impp. Dioclet et Maxim.* quam quod *Iustinianus* mutando prius, praefinierunt, sine computatione indicatum habetur in l. 6. §. 5. C. de appell. et consult. *Si autem in iudicio propriam quis fuerit causam persecutus atque superatus voluerit prouocare: eodem die vel altero libellos appellatorios offerre debet. Is vero, qui negotium tuetur alienum, su- pradicta conditione etiam tertio die prouocabit.* Et Nou. XXIII. c. 1. Sancimus omnes appellationes, siue per se, siue per procuratores, siue per defensores vel curatores vel tutores ventilentur, posse intra decem dierum spatium a recitatione sententiae numerandum, iudicibus ab iis quorum interest offerri, siue magni siue minores sint (excepta videlicet sublimissima praetoriana praefectura) ut liceat homini intra id spatium plenissime deliberare, siue appellandum ei sit siue quiescendum; ne timore instante opus appellatorium frequentetur, sed sit omnibus inspectionis copia, quae indiscussos hominum calores potest refrenare. Quicquid enim ex huius nouellae Iustinianae verbis concludas vel tutissime, tamen iisdem ipsissimis atque immediate nulla continetur computatio.

4) Spatium annale, intra quod interposita appellatio iure Romano prosequenda, nulla adiecta computatione constituit *Iustinianus*  
l. 5.



~~§. 9.~~  
l. 5. §. 4. C. de temp. appell. illud etiam merito addendum huic legi censuimus, ut si quis fatali die apud appellationis iudicem introductus, siue ex parte una, siue cognitionaliter causae appellationis imponatur exordium: deinde relicta ea discedat, et in defidia reliquum tempus permaneat: et annale tempus post inchoatam litem praeterierit etc.

Occurrunt etiam leges versantibus species computationis minus plenae. Qualis est:

1) Quam legendi occasionem praebet l. 15. ff. ad L. Iul. de adult. minorem ab accusatione adulterii, quo ipse iniuriam matrimonii non perpessus sit, remouens, ibi Vlpianus interiectis quibusdam scribit: minorem viginti quinque annis etiam cum accipimus, et qui vicefirmum quintum annum aetatis agit. Discimus tantum ex hoc Vlpiani effato: totum annum coeptum hocce casu pro impleto non esse habendum; vtrum vero et dies vltimus naturaliter numerandus sit nec ne, incertum reliquit.

2) Eiusdem computationis minus plenae exemplum Marcellus proposiuit l. 48. ff. de condit. et demonstr. Non putabam diem fidei commissi venisse, cum sextum decimum annum ingressus fuisset, qui erat relictum, cum ad annum sextum decimum peruenisset, et ita etiam Aurelius imperator Antoninus ad appellationem ex Germania iudicauit.

3) Et Vlpianus l. 49. pr. ff. de leg. 1. Si cui legetur, cum quatuordecim annorum erit: certo iure utimur, ut tunc sit quatuordecim annorum cum impleuerit. Et ita imperatorem decreuisse Marcellus scripsit. Verbum impleuerit, iis collatis quae l. 5. ff. qui test. fac. poss. ab Vlpiano dicta, non omnem civilem computationem excludere concedes.

4) Cf. etiam l. 30. §. 1. ff. ad L. Iul. de adult.

§. 9.

Quae sequantur ex antea dictis?

Ex computationum notionibus pariter atque allegatis legibus quaedam facillime eaque notatu, me opinante, haud indigna sequuntur:

B

D) com.



I) *computationis civilis naturalisque perscrutatione alios adiuvare non opus est, si quomodo computandum, ex verbis iam pateat, aut quomodo computetur, perinde sit.* Vtroque enim casu quin falsus concipiatur sensus, impediendi nulla superest occasio. Ne exemplo careas, propone temporis cuiusdam initium tantum praefinitum esse.

II) *Adiicienda igitur a ICro civilis ac naturalis computatio est interpretatio, sensum enim eruit per verbi ambiguitatem difficilem.*

III) *Neutra computatio, nec civilis nec naturalis applicari potest temporis incerto.* Temporis incerti quantitas, quum incerta sit, nec plena nec minus plena dici, ergo neutro modo computari potest.

IV) *Omnis ista computatio, si menti loquentis aduersetur, minus recte se habet.* Quod, quum finis, ob quem ita computetur, interpretatio sit, haec autem logica esse debeat, nemo in dubium facile vocabit.

V) *Num facta faciendae computatio auctoris voluntati conveniat, optime ex fine, cuius gratia tempore vititur usus est, cognosci potest.* Idem enim, quod finis, et voluntati repugnare, et omne illi consentaneum et huic respondere cogitatur, quia finis id est quod volumus ut sit. Ita e. g. a gratulatoribus perinde habetur et recte, utrum festum natalitium celebrans diem natalem ingressus sit an iam compleverit, quia hora, qua natus sit, expectetur nec ne, eodem non interest. Quod non inconsulto elegi exemplum computationis civilis, explicante Accursio et Cuiacio, fere antiquissimum.

VI) *Omni computatione supersedere potest ICrus, si ipse verborum auctor iam satis numeraverit tempus appositum.* Quum quisque enim verborum suorum optimus interpret, ideoque et temporis a se praefixi optimus numerator sit, omnem aliam illa computatione sequiorem habeamus necesse est.

VII) *In erronea temporis computatione, licet usualis facta et in ipsis legibus obvia sit, iuris analogia nulla nititur.* Iuris analogia non tam



ex factorum similitudine, quam potissimum ex ratione cuiusdam sanctionis in alia specie itidem apparente hauritur. Quod quomodo fieri possit vera tali ratione deficiente, nemo unquam exemplo praeiuit, nec quisquam praeibit. Idem Celsus in l. 39. ff. de leg. disertissime fatetur: quod, inquit, non ratione introductum, sed errore primum, deinde consuetudine obtentum est: in aliis similibus non obtinet.

VIII) *Computatio temporis naturalis interpretationem declarationem, civilis restrictiuam imitatur.* Illa quia sensus verbo adiudicatur naturalis et ordinarius, hac talis, qui ordinario strictior est. Nam significatus, quo sub verbo, quod ad totum aliquod innuendum inuentum creatumque est, idem totum intelligitur, certe naturalis ordinariusque, ille autem, quo verbi vi detrahatur, naturali strictior et extraordinarius est.

IX) *Computatio igitur civilis non adhibenda est nisi ex speciali causa, et si haec desit, naturalis.* Nam naturale tamdiu, donec impediatur, valet seruandumque est, non naturale accedente tantum speciali causa existit.

X) *Specialis illa causa nullibi ponenda, nisi in mente eius, qui verba fecerit,* quum civilis computatio interpretationis restrictiuae, ideoque logicae species, indeque secundum mentem auctoris facienda sit.

XI) *Tali ratione omnino destituti sunt, qui civiliter computant, quia alio in casu ita vulgo computetur.* Exinde enim, quod in casu quodam vulgari civilis computatio fundata sit, eadem et alia in specie fontica ratione non carere concluditur ratiocinatione: 2 particulare ad particulare, falsitate sua satis famosa, cuiusque exemplum dant, qui in aestimando tempore legali morem in diebus natalitii vltatissimum sequuntur, seque peccasse non credant, modo iis nullum eo oriatur incommodum, quibus tempus in lege datum sit.

XII) *Civilis computatio absque solida ratione facta, licet ipsis in legibus appareat, nullam tamen iuris analogiam constituere potest.*  
Vid. Nr. VII. ibique cit. l. B 2 XIII)



XIII) *Quodsi autem ratio non desit, non solum dies annusue sed longius quoque tempus, coeptum tantum, pro completo recte habetur.* Falsum enim esse nequit, quicquid ex idoneo fundamento, modo legitimo, concludas. Exemplum l. 74. §. 1. D. ad Scrum Trebell. dein explicanda praebebit.

XIV) *Quae quum ita sint, notio computationis civilis neque ex sola l. 134. ff. de V. S. neque ab iis recte formatur illam moneationem eam dicentibus, qua totum tempus pro absoluto iam habeatur, licet ultimus eiusdem articulus, secundum quem computatio fiat, coeptus tantum, nondum impletus sit.* Etenim quum (reliquo ex superioribus satis elucente vnicum tantum moneam) temporum ab ipsis legibus praefinitorum articuli quam plurimum annis consistant, computatio civilis secundum istam notionem plerumque aestimationem anni ultimi coepti pro iam completo involueret.

§. 10.

*Qua ex ratione tempus diversimode computatum sit ab iuris Romani auctoribus.*

Enodandis temporis varie numerati rationibus magni nominis Icti operam navarunt suam. Quae ab Accursio et Viglio de praescriptione et usucapione solum, et a Jacobo Cuiacio de singulis negotiis iudicata Rückerus allegavit et feliciter impugnavit, non repetam, ea potius quae hic ipse et alii quidam ab eo praetermissi communicarunt, et proprium qualecunque iudicium addam.

*Ger. Noodt in com. ad tit. de minor.* computationem civilem restrinxisse videtur, nam iusto obscurius mentem explicavit, ad negotia quae formam a iure civili, i. e. a lege decemvirali habent, ad-versante l. 132 et 134. ff. de V. S., ibi enim de favore ex lege decemvirali minime nato sermo est.

*Samuel de Cocceii iur. civ. contr. lib. 2. tit. 12. qu. 1.* civilem dici computationem obtinere putat in omnibus negotiis civilibus, ut in usucapionibus et pubertate, naturalem in negotiis ex aequitate naturali



~~\_\_\_\_\_~~

13

naturali introductis, vt in omnibus negotiis praetoriis. Nihil quidem contra aequitatem viri quondam Illustrissimi, licet sufficientem computationis naturalis rationem non praebat, nam et civilis aequitati saepe conuenit, moneo. Sed quis, bene memor. l. fin. C. qu. tut. ess. defin., pr. Inst. qu. mod. tut. fin., et l. 4. ff. de ritu nupt. dare potest viro post fata clarissimo: in omnibus negotiis civilibus obtinere computationem civilem.

Rückerus tandem post frustranea aliorum conamina absque omni negotio computationis variantis rationem inuenisse sibi gratulatur. "Experiar, inquit, an forte indagare valeam, quam tandem in iure nostro varia illa temporis computatio habeat rationem. Eam vero non in singulis diuersam, sed in omnibus in vniuersum speciebus eandem esse opinor: vnice exinde petendam, quod naturalis quidem temporis computatio ipsis legum verbis inhaeret atque inseruit: civilis autem computatio tota prudentum interpretationi debetur. Cum lex annum dicit, verba legis etiam vltimam anni horam complectuntur, quia haec quoque partem anni constituit, et eiusque perficiendo necessaria est: adeoque, vt ille annus, cum reuera exactus nondum est, iuris fictione tamen interdum pro impleto habeatur, hoc non aliunde quam ex iurisconsultorum interpretatione venire potest. Cum vero interpretatio aequitatis et humanitatis causa fiat, et propterea verba legis, si occasio sit, immitiorem quidem sensum accipi patiatur, in duriores accipi non patiatur; vltro enasci mihi videtur regula, quae naturalis, et civilis temporis computationis fines in genere regat, nimirum: *civilis computatio adhibetur, quoties ea meliorem reddit conditionem eius, cui lex certum tempus praesinit: quoties ea vero conditionem eius redderet deteriozem, naturali computatione stamus.* Reddit autem civilis computatio meliorem conditionem eius, quem lex ad certum vsque tempus arcet et vetat: eadem computatio deteriozem redderet conditionem eius, cui lex ad certum tempus vsque permittit et



indulget. Nam civilis computatio de tempore, quod lex praefinit, particulam detrahit hactenus Rückerus. Quamvis viro dum viveret doctissimo lubenter concedam, rationem ab eo inuentam eandem esse, quae monerit ICTos Romanos, permultum tamen est, quod de praestantia eiusdem et de ratione computationis naturalis legibus additae aliter sentiam. Naturalis numeratio tamquam pleonasmus (Nr. 9. §. 9.) et ideo, *ne civiliter computetur*, speciebus quibusdam adiecta mihi videtur a legum auctoribus, ad hanc cautionem exemplis aliter factae computationis commotis. Non additam esse, quia favorabilis sit, ex *l. 1. §. 3. ff. de postul. §. 9. Inst. de pupill. substit. pr. Inst. quib. mod. tut. fin. Nou. 100. c. 2.* quae satis superque discere potest.

Quod autem civilem atinet computationem, primo errasse Rückerum puto, dum omnem illam ex prudentum interpretatione ortum traxisse credidit, immemor decreti Antonini Caracallae et constitutionis Hadrijani imp. in *l. 74. §. 1. ff. ad Sctum Trebell.* Nec magis pro vero habeo, prudentibus Romanis occasionem, verba legis in mitiorem sensum accipiendi civiliterque computandi non defuisse. Etenim respondeas quaeso, ego quaeram: quam ex ratione occasionem istam sibi datam credere poterant? si cum Rückero respondeas: quia in vita vulgari interdum, e. g. dies natalitius, civiliter numerabatur, et eadem computatio in casu a lege proposito sanebat: rationem profers, quam Nr. XI. §. 9. cerebrinam reddit, atque ex qua liceret sub dolo a legislatoribus simpliciter nominato solum directum intelligere, quia indirectus vulgo raro aut numquam intelligitur. Unica vera ratio haec erat: quod finis, quem legislator in definiendo tempore usucapionis, impubertatis atque minoris aetatis habuerit, parte istius licet superstite iam impletus sit seu cesset (Nr. 5. §. 9.); ast hanc plane non habebant. In usucapione mihi talem impletionem plane non, quoad impubertatem et minorem aetatem, saltim generatim, ne verosimilitudine quidem adiutus cogi-



cogitare possum. Etenim interdum impuberes atque minores eo iudicio iam instructi reperiuntur, quo ad testamentum condendum aut ad munera subeunda opus est, sunt tamen quoque totidem imo plura exempla, quibus de contrario edocemur. Sed ponam, non concedam, rem aliter se habere, iam quaero: quodnam tempus remittere velis, quidni loco diei annique biduum triduum biennium triennium malis? Incertus es et manebis, dantur enim quoque species, ubi impuberes minoresue biduo triduoque impubertatis, biennio triennioque minoris aetatis, ultimo nondum impleto iam sapiunt. Insuper bene nota: tuo arbitrio imperantis arbitrium mutare, vel tantum exceptionem a lege dare, recta interpretatione lege duriorem esse, misericordia auli de iurisprudencia bene mereri te non posse.

Longe aliter se habet ciuilis temporis numeratio ab imperatoribus inuecta. Quod enim Hadrianus minorem aetatem ratione honorum municipalium ciuilitate aestimasse fertur, id quaeso cogites nihil constituere nisi derogationem de lege, iure potestatis legislatoriae, factam. Ciuilis autem computatio, quam decernens imp. Antoninus Caracalla l. 74. §. 1. D. ad Scrum Trebell. adhibuit, sapientissimae interpretationis praestitit probationem. In explicanda hac lege plurimi Ictorum frustra desudarunt, ipse Cuiacius inexplicabilem eam confiteri non erubuit, et Ruckerus noster priuilegiis ad similes casus non extendendis eandem adnumerat. Per grammaticam, quam nominant, interpretationem textusque emendationem lex nostra clarior non redditur. Repugnante l. 48. D. de condit. et demonstr. Struuius in Gothofredi Immo: ad annum peruenire explicat per: attingere aut ingredi eundem. Nec, qui Pacio *εναντίον* cent. 9. qu. 83. visus est, ante annum vicesimum non decessisse, quod eum iam ingressus fuisset, mihi ob reliqua verba: si ad annum vicesimum peruenerit, videtur. Quod mentem huius legis attinet, recte imperator correxit sententiam praesidis pro petitrice pronunciantis, non solis testamenti verbis sed acquitate commotus. Sed quaeris: quanam ista fuerit aequitas? Mihi eadem naturalis ratio seu aequitas esse videtur.



detur, ex qua *l. 102. ff. de cond. et demonstr.* fideicommissis liberis impositis tacita conditio inesse videtur: *si sine liberis decesserint*, quæque in eo constitit, quod parentes liberis primi gradus bona deferentes eadem simul liberis ulteriorum graduum natis olimque nascendis conferre recte praesumuntur *l. 1. §. 4. D. de suis et legit. her. l. 30. C. de fideicom.* Quod autem naturalis haec aequitas ad speciem legis nostrae recte applicetur, nemo inficias ibit, si consideraverit testamentum, unde decisionis fundamentum petebatur, exheredationem bona mente factam continuasse, matremque heredem, quicquid possidebat atque restituere debebat, nomine filii vicesimo minoris possedisse et restituere debuisse. Tacitam autem illam conditionem per eam, quam expresse testator declaverit, non exclusam fuisse aperte docet *d. l. 102. ff. de condit. et demonstr.* Eadem inde ratione decidendum fuisse, licet filius testatoris decessisset, annum vicissimum nondum ingressus, ex *d. l. 102. et Nr. 9. §. 9.* satis discimus.

§. 11.

*Viramque computationem applicandi regulæ.*

Quando vna alteraue computationis species in vltum adhibenda sit? thematis nostri principalis quaestio est, eaque per superiora ita resoluenda:

1) *seruanda ante omnia est ea computatio, quam ipse verborum auctor adiecerit per Nr. 6 §. 9.*

2) *Si ille non aestimauerit tempus, ea numeratio praefenda, quæ menti eius respondeat Nr. 4. et 5. §. 9.* Naturalis igitur e. g. conuenit menti Nou. XXIII. c. 1., ciuilibus voluntati testatoris in *l. 74. §. 1. ff. ad Scrum Trebell. et l. 102. D. de condit. et demonstr.*

3) *Si, quæ menti istius magis congruat, non pateat, naturaliter computandum est per Nr. 9. §. 9.*

§. 12.

*Aliorum de iisdem regulis sententia.*

Si operæ esset pretium, et eorum mentionem facere, qui argumentis pro tuenda veritate adstruendis iusto maiorem impenderiat in-



industriam, nonnullos quoque, qui eandem mecum fovebant sententiam, allegandi incidere oportunitas. Quod quum aliter sit, aduersantium tantum lubet immorari opinionibus, quos inter primarius est saepenumero nominatus Ruckerus, quippe qui in *diff. cit.* computationis regulas earumque rationes ita proposuit: *ciuilis computatio adhibenda, quozies ea meliorem reddit conditionem eius, cui lex certum tempus praefinit: quozies ea vero conditionem eius redderet deteriorem, naturali computatione standum est.* Etenim se non videre confitetur, quare, quod certis in casibus adhibitum legimus ipsis in legibus, in aliis similibus non adhibeatur.

Speciosa quidem satis est ratio, qua nituntur Ruckeri regulae, sed non vera, neque data regula sequenda:

- 1) ob argumenta pro alia sententia s<sup>pho</sup> praec. militantis
- 2) computatio ciuilis, quam debemus Ictis Romanis, talis non est, vt fundare possit analogiam iuris, quam inde deriuare Ruckerus conatus est. Cf. Nr. 7. et 12. §. 9.
- 3) Quia species sunt, in quibus secundum Ruckerianam regulam, vtrum ciuiler an naturaliter computes, nescis, tales sunt eae, vbi tempus in partis vtriusque commodum praefinitum est, vti e. g. tempus poenali criminum persecutioni praescriptum, duratio enim eius in laesi, lapsus in laedentis fauorem vergit.
- 4) Quodsi in casibus similibus leges existant sibi inuicem contrariae, eae in formanda iuris analogia praefereendae sunt, quae rationi magis respondent. Iam autem in casibus quoque, vbi ciuilis numeratio fauorabilior fuisset, naturaliter computatum est *l. 1. §. 3. ff. de postul. §. 9. Inst. de pupill. substit. pr. Inst. quib. mod. tut. fin. l. 4. D. de ritu nupt. l. 24. C. de nupt. l. ult. C. quand. tut. esse defiz. Nou. 100 c. 2. pr.*, et naturalis computatio in casu dubio ratione non destituitur, vid. Nr. 9. §. 9.

Nec magis ea, quae Ger. Noodt et Sam. de Cocceii de diuersa computandi ratione scripserunt, quum veritati repugnent (§. 10.) tamquam regulae valere queunt.

THESES



## THESES AD DISPUTANDUM PROPOSITAE.

1.

Prouocationis ex L. diffamari, et ex lege si contendat, in foro prouocantis iure communi instituendae, non deficit ratio.

2.

Qui in constituenda legitimae quantitate iuste exheredatum computant, nullo posito discrimine, ex qua causa exheredatus sit, proprio, quo utuntur, argumento possunt refutari.

3.

Ratio, ex qua legata denegantur in testamento relicta iis, quae contra idem frustra quaerelam inofficiosi instituerunt, porro ea, quae acceptatio legati ab herede praesliti excludat istam quaerelam, iure nouellarum intuitu parentum et librorum sublata est.

4.

Ob indiuisam adhuc hereditatem heres in domicili fori defuncti respondere non tenetur, neque per l. 19. neque per l. 34. ff. de iudic.

5.

Beneficium excussionis tertio hypothecae specialis possessori interdum competit, interdum secus.

6.

Legatarii et fideicommissarii iure quoque nouiori legatis possunt onerari. Aliter sentit de Cocceii in iure ciuili contr.

7.

Tutela pactitia iure Romano non obtinet.

8.

Nemo per usum iuris in re aliena sibi concessi seruitutem acquirat, licet ille in propriae rei vergat utilitatem.





Königsberg, Diss., 1740-99

ULB Halle 3  
004 587 936




f 1018

sb.











DE TEMPORE IN IVRE CIVILITER AC  
NATVRALITER COMPVTANDO

AVCTORITATE ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS  
IN ACADEMIA ALBERTINA  
LOCI IN EODEM OBTINENDI CAUSA

D. XVII. SEPTBR. A. MDCCLXXXIX.  
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS  
PVBLICE DISPVTABIT

D. GEORGIVS FRIDERICVS  
HOLTZHAVER

IVR. ANTECESS. ORD. ET FACVLT. IVRID. ADESSOR.

RESPONSVRO  
GVILIELMO AEMILIO SCHINEMANN,  
*Regiom. Boruffo*

INTER EOS, QVI OPPONENTIVM SPARTAM TVEBVNTVR, NOMINA  
SVA INDICARI CVPIVNT SEQVENTES:

IOANNES HENRICVS DE SANDEN, *Regiom. Boruff.*

CAROLVS BENEDICTVS TITIVS, *Gedan.*

IOANNES LVDOVICVS WICHERT, *Regiom. Boruff.*



REGIOMONTI,

TYPI SACR. REG. MALEST. ET VNIVERS. TYPOGR. G. L. HARTVNGIL.